

nec illimitatum : quia si potest proponi sub eo statu, et modo, quo vinci potest ab alio bono limitato, et deseri præ ipso, oportet quod sub illo modo non proponatur, nec manifestetur, ut summum bonum : quia summum bonum est vincens omne bonum minus illo, ergo quod proponitur ex omni parte, ut summum bonum, proponitur ex omni parte, ut vincens omne aliud bonum ; ergo non proponitur ut vincendum ab alio bono, nec cum indifferentia, ut vinci possit, quamdiu ut summum bonum proponitur. Ergo repugnat, quod stante actuali repræsentatione summi boni, possit stare alterum dictamen, quod repræsentetur ut bonum, deserendum aut prætermittendum præ alio bono ; quod est repræsentari cum tali indifferentia, ut possit deseri, et aliud bonum acceptari deficiendo ab isto, quia sic non repræsentaretur ut summum bonum in eo in quo repræsentatur ut relinquendum præ alio, vel cum indifferentia, ut relinquatur.

XXI. Ex quo sequitur, quod visio beata per se immediate, et formaliter destruit omne dictamen defectuosum, scilicet omnem propositionem boni creati cum desertione, et oppositione, seu non subordinatione ad bonum divinum : quia tale dictamen non stat cum propositione et repræsentatione summi boni, ut summum bonum est. Unde formaliter, et immediate destruit omnem potentiam, et radicem peccandi, quia radix peccandi a dictamine defectuoso, et in consideratione intellectus desumitur. Potentiam autem peccandi, quæ ex parte voluntatis se tenet, destruit visio beata ex consequenti, et mediate, sicut destructa radice, destruitur radicatum in ea ; et sicut destructa rationalitate destruitur risibilitas. Unde non sic visio beata eminenter, aut virtualiter opponi-

tur potentiæ peccandi, quasi formaliter, et immediate nihil de potentia peccandi destruat, sed indigeat alia forma superveniente, scilicet voluntatis actu, vel gratia ad destruendum formaliter, potentiam peccandi ; sed formaliter, et per se destruit ipsam radicem, et primam potentiam peccandi, quæ est ex parte dictaminis defectuosi, quo destructo, tollitur omnis potentia ex parte voluntatis. Illud autem destruitur per impossibilitatem cum visione clara repræsentante summum bonum ut tale ex omni, et jam in exercitio. Unde nunquam repræsentari potest cum indifferentia respectu alterius boni ut deserendum præ alio, et minus illo.

XXII. Dices : Potest ex cogitatione adveniente, vel ex propria voluntate divertere intellectus a visione, et pati levem aliquam inconsiderationem, et sic movebitur a dictamine defectuoso, non obstante visione : quia visio ex se non excludit omnem inconsiderationem, licet de facto ita conservetur a Deo, ut actu semper duret sine interpolatione ; nam ex natura sua pati potest illas inconsiderationes. Item : Ex natura sua potest dari visio Dei, quæ sit pure speculativa, quia potest videre ea solum, quæ pertinent ad ipsam divinitatem, non ea, quæ a nobis agenda sunt : et tunc non erit practica illa visio, sed pure speculativa, et sic non opponetur dictamini defectuoso, quod est practicum. Denique, licet nullum aliud bonum possit vincere bonum divinum in se clare visum, quantum est ex meritis objecti, potest tamen vincere ex meritis ipsius libertatis : quia etsi proponatur ut minus bonum, voluntas tamen potest pro sua libertate minus bonum eligere, quia in ordine ad libere eligendum reputatur ut majus bonum, ut scilicet exerceatur ibi libertas : et alias voluntas se

moveret in dictamine illo formando, et non a solo Deo formatur, sicut in primo instanti Angeli, cognoscitque, atque proponit sibi diversa objecta creata per alias cognitiones extra visionem proposita, si quidem beatus etiam cognoscit res in proprio genere, per notitias ex Verbo : potest ergo formare dictamina defectuosa, aut inconsiderata ex talibus cognitionibus et sic peccare.

XXIII. Respondetur ad primam instantiam, visionem beatam non posse interpolari, seu intermitteri, aut cessare, ut sequenti articulo dicemus, quia visio illa est ex natura sua vita æterna, et consequenter immutabilis : nec posset felicitatem præbere, si posset intermitteri, dum enim cessaret, felicitate illa careret videndi summum bonum : si enim videre Deum in actu est felicitas, cessare ab illo actu utique cessatio felicitatis est. Si autem semper in actu est talis visio, repugnat insurgere inconsiderationem defectuosam, quantumcumque levem, illamque necessario excludit, quia cum representatione clara summi boni ut summum bonum est, repugnat repræsentari, et proponi indifferentiam in illo bono ut præ alio bono creato, et limitato relinquere possit, etiam per aliam notitiam, et per aliud medium : quia sub tali indifferentia jam proponeretur, ut minus altero, atque adeo non ut summum sub illa formalitate. Ista autem dictamina sunt contraria, proponi ut summum bonum, proponi ut non summum, et sic non compatiuntur simul. Igitur ex natura sua illa visio non patitur illas inconsiderationes, sicut neque intermissionem, aut cessationem aliquam, cum ex natura sua sit ultima felicitas, et beatitudo sit etiam immutabilis, quia æterna vita est. Nec potest per aliquod auxilium, aut extrinsecam protectionem actu semper

durare, et non discontinuari : quia non potest ullum auxilium, aut excitatio extra visionem ita vehementer ad sui amorem, aut continuationem movere, sicut ipsa visio, quæ omni alio excitativo fortior est ; sine excitatione autem, et propositione objecti, neque datur auxilium ad incipiendum, neque ad continuandum.

XXIV. Ad secundam instantiam respondetur, esse impossibile quod visio Dei sit pure speculativa, et non etiam practica eminenter ; sicut impossibile est dari fidem de Deo, quæ non sit eminenter practica, id est, quæ per dilectionem non operetur, quantum est de se : fidei autem succedit visio, tamquam implens per claritatem ea, quæ fides credit per obscuritatem. Et hujus ratio est quia impossibile est videre Deum, quin videatur esse summum bonum, et finem ultimum creaturæ rationalis, juxta illud, quod dixit Dominus Moysi : *Ego ostendam tibi omne bonum*, Exodi xxxiii. Ergo impossibile est, quod videatur Deus, quin formetur judicium, quod illud bonum sit summe amandum præ omnibus, et sequendum : hoc autem est judicium practicum, quia est judicium regulativum amoris ipsius finis. Et quia proponitur illud bonum ut summum clare, et intuitive, non potest proponi cum indifferentia ut aliud ei præferatur, et ut præ alio possit relinquere ; sic enim proponeretur ut minus bonum ex vi talis indifferentiæ, et non ex omni parte ut summum. Quidquid ergo sit, an possit videri Deus, et non aliæ creaturæ in ipso, tamen impossibile est, quod videatur Deus, et non videantur, quæ agenda sint ab ipso homine circa Deum, tamquam circa finem. Et sic dicit S. Thomas quarto contra gentiles, cap. xcix, ratione v, quod anima beata nullo modo potest esse ignorans, cum in Deo omnia videat,

quæ pertinent ad suam perfectionem; nullo ergo modo potest malam voluntatem habere. Hæc fuit semper consequentia efficax D. Thomæ excludere defectuosam voluntatem ex exclusione defectuosi dictaminis, et hoc ex ipsa visione Dei, qua videtur summum bonum et summa perfectio; quod non potest stare, nisi videatur quidquid pertinet ad perfectionem ipsius hominis, videtur enim quidquid pertinet ad ipsam rationem finis ultimi, nec potest aliquid appeti relinquendo hoc summum bonum; vel præter ipsum.

XXV. Ad tertiam instantiam dicitur, quod stante clara visione summi boni, non potest quodcumque aliud bonum creatum præ illa acceptari, nec etiam ipsa experientia libertatis propriæ. Et licet possit voluntas eligere minus bonum, relicto majori, hoc tamen non contingit quando proponitur aliquid, ut summum bonum, sed inter ipsa bona creata, seu limitato modo proposita, et non ut summum bonum clare visum, quia non potest eligi minus bonum, relicto majori, nisi ipsa electio minoris boni proponatur, ut conveniens, etiam in comparatione electionis majoris boni, si quidem eligi debet minus bonum cum derelictione boni majoris; ergo oportet, quod non solum proponatur, ut conveniens talis electio absolute, sed etiam comparative ad electionem majoris boni: ergo debet proponi illud majus bonum, cum aliqua indifferentia, ut præ alio deseri possit, et non quomodocumque præ alio, sed præ alio etiam minori bono. Ergo oportet, quod non proponatur, ut summum bonum, et summo modo, scilicet clare videndo illud; quia hoc ipso, quod ex omni parte repræsentatur, ut summum bonum, non potest proponi, ut deserendum præ alio, et cum indifferentia, ut possit præ alio

derelinqui: quia summum bonum visum, ut summum, nihil relinquit, quod non vincat in ratione boni, et sic in quantum proponitur, ut summum, non potest proponi ut refulabile præ alio bono etiam ratione propriæ libertatis: quia tale bonum necessitat voluntatem ad amorem sui; ergo non relinquit libertatem, et indifferentiam, vi cuius possit proponi experientia libertatis ad deserendum illud summum bonum. Quare posse eligi minus bonum relicto majori, solum habet locum in his bonis, quæ non sunt summum bonum, nec summo modo proponuntur, sed cum indifferentia, et libertate, ut unum ab alio vinci possit et unum deseri præ alio. Et hoc ipso, quod unum bonum proponitur taliter, quod possit ab alio vinci, et præ illo deseri, non proponitur, ut summum bonum, et summo modo, pro illa enim parte, qua vincitur, et deseritur ab alio, non ut summum proponitur.

XXVI. Quod vero dicitur voluntatem beati posse formare dictamen de aliis objectis se movendo ad illud, et per cognitionem extra Verbum, respondetur ita esse; sed omnia illa dictamina debent subordinari visioni, nec ab illa deficere, seu illi opponi deserendo Deum, quia visio illa proponit finem ultimum, qui est ipse Deus, ut summum bonum in se clare visum, ita quod ex omni parte summum bonum est, et consequenter non habet unde proponi possit cum indifferentia, ut præ alio bono deseratur etiam per aliam cognitionem; quia bonum in summo, non habet unde deseri possit, nec aliquod motivum relinquit, quod sibi possit præponderare in voluntate, aut repræsentari, ut non summum, quia hoc contrariatur illi. Quare visio beata est universalissima causa in omnes actiones beati influens, omnesque regulans: *Nec*

est qui se abscondat a calore ejus, utique nec qui deficiat ab ea.

XXVII. Secunda pars conclusionis magis explicabitur ex resolutione sequentis difficultatis. Breviter nunc ostenditur, quia ut dicemus articulo septimo, ex visione clara sequitur necessario amor ipsius Dei, ita quod ad illum non remanet indifferentia in voluntate, quia tota voluntatis indifferentia, et capacitas adimpletur illo summo bono; ergo non potest illud non amare, quia potentia adæquate, et totaliter impleta suo objecto, non potest ab illo resilire, neque enim potest indifferentia manere ad id quod totaliter, et adæquate eam adimplet. Unde ille necessarius amor non est ex imperfectione actus, et inadvertentia, sed ex plenitudine perfectionis. Posito autem amore necessario in voluntate circa finem, non potest ab illo deficere, illumque relinquere; alias non necessario ferretur in illum, si in manu sua esset ab illo se subducere, illumque relinquere; ergo etiam conducit ad non peccandum ipsa dilectio, et amor quatenus necessarius est, et indefectibilis; nec enim cum eo compati potest aversio a tali bono, sic de necessitate amato, ipsa enim aversio, quædam non dilectio est. Sed hoc dicimus consequenter, et secundario se habere: quia ipsa visio, quæ antecedit istam dilectionem, eamque regulat, et causat, destruit quodcumque dictamen defectuosum, et sic impossibilitat peccatum propter oppositionem cum dictamine aversivæ a tali fine, aut illi se non subjicente. Quare dilectio Dei, quæ consequitur ad talem visionem non primo, et per se tollit possibilitatem peccandi, quæ in defectu dictaminis fundatur, sed ex consequenti prout ex parte voluntatis opponitur formaliter dilectioni aversivæ a Deo; hoc ipso quod necessitat volunta-

tem in amore Dei; quod si necessitat, ergo oppositum non compatitur.

XXVIII. Et ex hoc sequitur ultimum, quod in conclusione dicimus, quod etiamsi suspenderetur dilectio Dei per possibile, vel impossibile, adhuc non posset peccare beatus. Nam etiam admissio (quod et verum est) quod dilectio Dei ex visione secuta, est necessaria, tamen posset Deus facere quod non sequeretur dilectio, si ipse suspenderet suum concursum, ne eliceretur. In tali casu dicimus, quod adhuc non posset peccare. Itaque visio potest stare, et conservari sine hoc quod sequatur ex illa talis dilectio necessaria; non tamen potest visio stare cum hoc quod sequatur ex alio dictamine peccatum, sed etiamsi impediatur dilectio, peccatum dari non potest. Ratio est, quia peccatum non potest sequi in voluntate, nisi supponatur, et præcedat in intellectu dictamen defectuosum, et ipsi peccato accommodatum; hoc autem dictamen pugnat cum visione Dei, quatenus visio illa est propositio summi boni ex omni parte, tam quoad specificacionem, quam quoad exercitium (ut ostensum est) repugnat ergo sequi peccatum posita visione. At vero posita visione, non continua sequitur dilectio, nisi Deus non suspendat concursum. Et ideo etiamsi Deus suspenderet, et dilectio non sequeretur, peccatum esset impossibile, quia esset impossibile dictamen defectuosum, cum clara ostensione, et propositione summi boni. Sed de hoc amplius statim dicemus.

XXIX. Quod si dicas, saltem posse peccatum veniale simul esse cum beatitudine, quia ad hoc est necesse habere dictamen defectuosum, et contrarium ipsi summo bono, quia non avertit ab eo, sed solum est præter ordinationem actualem ad ipsum; non probatur autem ex ra-

tionibus adductis, quod sit impossibile beatum operari præter ipsum finem ultimum et non subjiciendo illi aliquam actionem, licet non possit operari contra ipsum summum bonum relinquendo illud, et avertendo se ab illo, respondetur utrumque probari per rationes factas. Nam si aliquid proponitur clare, et manifeste, ut summum bonum, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium, ita quod ex omni parte, ut summum bonum repræsentatur, quamdiu non cessat, neque interrumpitur talis visio, non solum impeditur proponi aliud bonum, ut eligendum cum aversione, et derelictione summi boni, quia jam in hoc non proponeretur, ut summum respectu talis boni, sed etiam impeditur proponi aliud bonum, ut volendum, et amandum sine subordinatione, et relatione ad summum illud bonum: quia in hoc ipso non est summum, sed minus, et diminutum, si quidem potest diverti ab illo et non in virtute ejus amari aliquid, quod propter se amari deberet. Et in ratione finis non est summe attractivum, et allicitivum, et consequenter neque summe bonum, si quidem finis est, qui allicit, et movet, ut ametur ratione sui, et alia ratione ipsius. Si ergo possunt alia amari, non ratione talis finis, sed sine subordinatione ad ipsum, licet non totaliter avertant ab illo, in hoc ipso non est bonum, neque finis summo modo, sed diminuto modo: quia aliqua proponi possunt, ut amanda non in virtute ejus, nec ex communicatione ejus, et sic in ratione finis, et boni communicativi est minus efficax, nec summum bonum: quia majus bonum esset, et majorem vim alliciendi haberet, si omnibus aliis daret unde amarentur, et non sineret amari sine subordinatione ad se: ergo si sic non movet, non ut summum bonum

movet, sed ut indifferens in bonitate, et diminutum, et non implens, et adæquans totam voluntatis capacitatem. Itaque sicut ad summum bonum clare ostensum pertinet sic movere, ut non deseratur præ alio bono, ita pertinet ad ipsum sic universaliter movere, et sic adimplere, ut non permittat quod non ab ipso incipiatur, ut a fine, nec quod ipsius amori alia omnia subjiciantur, et non ex ejus participatione, et communicatione amentur: poterit quidem stante ejus visione non sequi dilectio, si Deus suspendat concursus: at vero quod sequatur dilectio alicujus objecti, et quod diligatur deserendo ipsum, aut non ex ejus participatione, et finalizatione, sed deserendo communicationem ejus, repugnat cum ostensione, et propositione clara summi boni, quæ hoc ipso quod summum bonum proponit, adæquat totam capacitatem voluntatis, nec potest in aliquo objecto amando, ab ejus communicatione non incipere, sed eam deserere, etiam pro illo opere, et non solum ex parte operantis.

EX SOLA VISIONE PERPETUA TOLLITUR
OMNE PECCATUM, TAM ACTUALE
QUAM HABITUALE.

XXX. Ut melius constare possit radicem impeccabilitatis sumi ex visione, etiamsi per impossibile suspenderetur dilectio, et amor in voluntate, restat hoc inquirere, an visio beata non solum obsistat, et impediatur, ne voluntas actu peccet post visionem, sed etiamsi peccatum præcederet, sive actuale, sine habituale, aut originale, an illud destrueretur per visionem beatam conaturali modo datam, id est, perpetuo, et habitualiter. Id enim ex natura sua petit visio beata cum sit vita æterna, et ultimi finis assecu-

tio, quæ ex ipsa ratione ultimi necessario postulat immobilitatem: quia si potest tolli, et ad alium finem voluntas affici, non esset in illo ultimate. Et sic non loquitur de visione data per modum transeuntis, sed habitualiter, et permanenter, sicut ipsa ex natura sua inamissibilis est. Itaque punctus difficultatis est, an visio beata per se ipsam, non solum sit impeditiva peccati de novo committendi; sed etiam sit quasi forma justificans, delens peccatum præteritum.

XXXI. In hoc ergo puncto variant theologii. Nam etsi communiter tenetur, quod cum visione, et amore simul non possit dari peccatum, quia charitas, et amor illius non compatitur inimicitiam Dei, cum ab intrinseco talis amor amicitia sit, tamen si sumatur visio sola, sine dilectione inde consecuta, dissensio est inter auctores, an sufficiat sola visio excludere omne peccatum, etiam præteritum, et quomodo id faciat, an formaliter, et proxime per se ipsam; an solum eminenter, et remote, et quasi radix unde oriatur forma, quæ proxime peccatum tollat. Et sunt tres sententiæ. Quidam dicunt per solam visionem destrui omne peccatum, tam actuale, quam habituale. Hæc est communior apud Thomistas, in hac quæstione quarta, artic. iv, et de ea late agit Vazquez disputatione xi, capit. x, a numer. vi, et disp. xviii, cap. ii, eamque attingit Gregorius Martinez super hunc articulum iv quæstiones iv, dubio v, qui citant aliquos Thomistas pro hac parte. Non tamen omnes explicant ita distincte, an loquantur etiam de peccato habituali; et similiter an loquantur de beatitudine pro statu perfecto; an de sola essentiali ratione beatitudinis, quæ est visio. Et de hac visione, an excludat peccatum præteritum per solam formaliter; an

mediante actu dilectionis, ipsa vero visio solum radicaliter expellat peccatum, et non ratione visionis, ut visio, sed ut causativa est dilectionis. In hoc postremum videntur inclinare, etiam ex illis, qui sentiunt visionem excludere peccatum, ut Medina hic super quæstionem iv, art. iv in fine, Sotus in iv, dist. xlix, quæst. i, art. iv, ante solutionem i, et quæst. iii, art. iv.

XXXII. Alii per aliud extremum tenent, solam visionem non expellere peccatum, neque cum illo pugnare, non solum habituale, sed neque actuale, sed indigere dilectione, imo et assistentia extrinseca Dei, ut peccatum evitet, quanto magis, ut præteritum expellat. Hæc sententia consentit cum Scoto supra relato, et Nominalibus, Gabriele, Ocham, Gregorio, Olcholt, quos citat Martinez ubi supra. Denique, alii media via procedunt, et dicunt actuale peccatum prorsus excludi visione beatifica; habituale vero non ita. Pro qua sententia Medina ubi supra, refert Victoriam, aliique ipsum citant, et eadem sententia tenetur a Martinez ubi supra, attribuiturque M. Soto in iv, dist. xv, quæst. i, artic. ii. Sed non satis fideliter. Sotus enim ibidem §. Ad argumentum, solum dicit: « Quod fortassis peccatori potest Deus conferre gloriam de potentia ipsius absoluta, permanenti in peccato. Quamquam qui hoc negaverit non aberrabit a vero. » Ita Sotus.

XXXIII. Dicendum nihilominus est, solam visionem Dei sufficere ad excludendum quodcumque peccatum, tam actuale, quam habituale, nec solum impedit, ne de novo peccatum fiat, sed etiam ne maneat in subjecto, si forte antecederet ad ipsam visionem fuit in subjecto. Hæc (ut dixi) est communior inter Thomistas, et rigorosior eorum sensum declarat. Eadem

mihi videtur D. Thomæ esse, si quidem, si ejus ratio aliquid probat, utique debet probare, quod visio beata non minus excludit, et impedit ne peccatum actu fiat a beato, quam quod expellit, et excludit peccatum præteritum, si quod daretur in subjecto, non minus quam ipsa gratia, cum infunditur alicui existenti in peccato.

XXXIV. Et explicatur fundamentum hujus sententiæ, simulque ratio D. Thomæ. Nam expulsio peccati, si quod invenitur in subjecto, constat solum duobus principiis altero immutante ipsum subjectum peccaminosum tali immutatione, quod reddat illud conversum ad Deum, et multo melius si reddat impeccabile etiam habitualiter, et ex parte potentiæ, quia non relinquit potens ad peccandum; impossibile enim est, quod reddat aliqua forma impotentem ad peccandum, et non reddat aversum a peccato, et conversum ad Deum. Alterum principium est ex parte Dei, quatenus ipse convertitur ad nos, et placatur, atque remittit offensam; his enim duobus stantibus, scilicet homine se convertente, et Deo remittente, peccatum stare non potest et unum ex his consequitur ad aliud; si enim homo convertitur, Deus remittit, et abolet peccatum. Sed posita visione clara Dei præcise, etiam si non intelligamus sequi dilectionem actualem Dei, utrumque hoc principium ponitur, tam ex parte conversionis hominis, quam ex parte remissionis Dei; ergo destruitur peccatum ex vi solius visionis. Consequentia est bona, et major de se manifesta, nec enim aliquid amplius requiritur ad remotionem peccati, quam illa duo.

XXXV. Minor ergo probatur in primis quantum ad primam partem, quod posita visione ponatur immutatio, et conversio ad Deum

ex parte ipsius hominis habitualiter, et permanenter. Nam per visionem illam sic disponitur homo habitualiter, et permanenter, quod nihil possit amare nisi sub ordine ad Deum, nec possit alium ultimum finem sibi ponere, quam ipsum Deum; ergo necessario facit voluntatem rectam. Quæ est consequentia, et ratio S. Thomæ in hac quæstione IV, articulo IV. Antecedens probatur, et constat ex dictis: quia sola visio Dei, etiamsi de facto non adsit dilectio actualis Dei, tollit quodcumque dictamen oppositum Deo, et defectuosum, non solum impediendo, ne amplius de novo detur, sed etiam destruendo quodcumque tale, quod in subjecto fuerit: si enim opponitur illi, utique destruet illud. Quare si ex præcedente peccato relinquebatur habitualis conversio ad creaturam, et aversio a Deo, utique totum hoc, principium, et originem habebat in intellectu, unde oritur pravum dictamen, et per visionem claram Dei hoc manet destructum, et sic non potest amplius manere voluntas disposita ad conversionem defectuosam, et aversivam a Deo: quia hæc essentialiter dependet a dispositione intellectus, qua ablata, sic manet disposita voluntas, ut non maneat potens ad prorumpendum in actum defectuosum, et non subordinatum Deo. Sic non manet disposita, et potens ad malum, et manet potens, et disposita ad diligendum Deum, imo necessario debet illum diligere nisi impediatur a Deo; ergo sufficienter manet conversa ad Deum, et immutata quantum est ex parte dispositionis, et potestatis, quam habet voluntas ad bonum, et non ad malum; si enim ex vi visionis sic manet disposita voluntas, quasi in actu primo, ut etiamsi de facto non habeat actum dilectionis, tamen in actu primo habeat reddi impotens ad actum ma-

lum, et solum disposita, et potens ad bonum, ergo ex vi visionis, etiam non intellecto actu amoris, manet in actu primo rectificata voluntas. Quæ enim major rectificatio in actu primo intelligi potest, quam sic esse dispositam voluntatem, ut non sit potens ad malum, et sit potens in actu primo saltem ad bonum, et ad diligendum ipsum finem ultimum, et convertendum se ad illum? Si autem rectificatur in actu primo habitualiter, et permanenter: ergo excluditur peccatum præteritum, et aversio ab illo relicta, quia peccatum præteritum solum manet in actu primo, et quasi habitualiter, quia actus secundus transit: ergo solum remanet aliquis effectus quasi in actu primo.

XXXVI. Et sic manet probata consequentia D. Thomæ, quod posita tali visione de necessitate amatur quidquid amatur sub ordine ad Deum, et hoc facit voluntatem rectam, sequitur enim iste amor, et ista rectitudo, vel in actu secundo, si de facto amet, vel si amor suspendatur de facto, saltem sequitur, quod in actu primo voluntas ita sit disposita, quod non possit defectuose amare, et sine ordine ad Deum, possit autem in Deum ferri, et in bonum; hoc enim necessario est annexum ipsi visioni, nec impediri potest ea stante: quia voluntas semper proportionatur intellectui, nec potest velle nisi juxta intellectus propositionem, et sic stante impossibilitate ex parte intellectus ad proponendum defectuose, et non solum possibilitate, sed necessitate ad operandum dilectionem Dei rectam, manet voluntas in actu primo disposita ad bonum, et remota a malo, quod est manere conversam ad Deum.

XXXVII. Quantum autem ad secundam partem probatur eadem minor: quia hoc ipso quod Deus in-

fudit alicui visionem, dat illi gratiam consummatam, et felicitatem summam, quæ in ipsa visione essentialiter, et substantialiter consistit, et quidquid ad felicitatem illam et beatitudinem accidentaliter pertinet, ex illa visione emanat; sed dare gratiam consummatam, et summam felicitatem supernaturalem est effectus gratuitæ voluntatis divinæ, multo magis quam si daret gratiam non consummatam, et jus ad talem felicitatem: ergo si non stat Deum dare gratiam, et jus ad hæreditatem, et felicitatem, quin sit placatus homini, et ad illum conversus, et peccatum remittat; a fortiori si dat ipsam gratiam consummatam, et hæreditatem, seu felicitatem in re, habebit voluntatem conversam ad hominem, et placatus illi erit, ac remittens peccata illius.

XXXVIII. Item non stat Deum dare visionem sui alicui, et non reputare eum, ut filium, et similem sibi, et hæredem gloriæ: *Similes enim ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*, 1 Joann. III. Ergo non stat quod non complaceat in illo; ergo nec etiam quod non reconcilietur ei, et gratificetur in illo, ac remittat peccata ex vi talis infusionis, non minus quam ex vi infusionis gratiæ, et voluntatis dandi illam: quia non est minus donum Dei ista visio, quam illa gratia, si quidem tota gratia ordinatur ad istam visionem tamquam ad consummationem, tamquam via ad terminum, et tamquam meritum ad præmium; ergo est aliquid perfectius ex parte doni, quam ipsum donum gratiæ, si quidem beatitudo est finis, et consummatio ejus: ergo si infundendo gratiam Deus convertitur ad hominem, et manet ei placatus, a fortiori manebit si solam visionem infundat, etiamsi suspendat gratiam, et charitatem, quia hæc suspensio præternaturalis est,